TENTAMEN PATHOLOGICUM INAUGURALE,

DE

MORBORUM SEMINIIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER M'LENAN,

SCOTO-BRITANNUS.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII,


LIBRARY
INSTITUTE

ALEXANDRO GRANT,

ARMIGERO,

Mercatori Londinenſi,

Viro nemini probis, nemini ingenuis moribus ſecundo,

Avunculo ſuo

In primis et jure caro,

Utpote qui ſumma benevolentia ſe

Summo amore, liberalitate, et

Pietate, paterna

Nunquam non amplexus ſit,

Has paginas, primum ſuum

In re medica auſum,

Caritatis tantae teſtimonium,

Et grati animi monumentum,

D. D. C. Q.

ALEX. M'LENAN.

Mr Collyns from
his obed^t hum^ble Servt
The Author

TENTAMEN PATHOLOGICUM,

INAUGURALE,

DE

MORBORUM SEMINIIS.

CORPUS humanum vivum e materia partibus pluribus in organa compositis conſtare, cum principio vivo, ſeu anima, conjuncta, ipſum adficiente et ab eo rurſus adfecta, videtur. Quod principium vivum, cum per ſe ſeparatum a corpore agere poſſe, ratio et omnis philoſophia ſanior rejiciat; ideo utrumque neceſſario conjunctum ab altero mutuo pendere, et a poteſtatibus externis, in utrumvis directis, affici credendum eſt. Quomodo conjungantur ut ignoramus, ita pro certo conjungi intelligentes, cauſam ad rerum Fabricatorem referimus. Verum, quamvis corporis cum principio vivo

conjunctionem et causam ejus ignoramus; tamen humanum, ut et alia corpora, rerum legibus communibus parere, certasque illius conditiones, ut bene se habeat, propriisque suis actionibus rite fungatur, necessarias esse, novimus. Similique modo, in suis orbitis ut certis spatiis moveantur, et meatus debitos peragant, corpora coelestia, certo inter se spatii intervallo diducantur, certam materiae copiam possideant, et certa velocitate ferantur, necesse esse, constat. Id enim motus et gravitatis leges requirunt, licet prima necessitatis causa, hujusque cum effectibus ultimis nexus, nesciatur.

Pro concesso igitur, corpus et principium vivum necessario conjungi, mutuoque alterum ab altero pendere, assumpto; certas utriusque, seu uniuscujusque conditiones, ita inter se connexas, certumque harum statum communem ita libratum esse, ut corpus vivum maxime sanum sit et optime valeat, ponemus. Qui tamen conditionum status, sic perfectus et absolutus, rarissime mortalibus accidit, et e contrario ab eo aberra-

tiones

tiones et inclinationes, aliae corporis actionibus necessariae, sed citra morbi modum consistentes, aliae ad hunc assurgentes, plurimae et variae incidunt. Quarum quae intra morbi modum consistunt, conditiones sunt, per quas a potestatibus, ei alioquin nocère non valituris, corpus morbo implicatur; sed, amotis istis potestatibus, morbi expers perstat. De his igitur conditionibus, quibus corpus humanum morbis opportunum fit, iisque potestatibus, sive extra corpus, sive intra agentibus, quae conditiones faciunt, id est, de Seminiis morborum et horum causis, in hac disputatione agetur. Sed, quoniam eae conditiones seu seminia, a statu maxime sano aberrationes, ut dictum est, vel inclinationes, sunt; igitur ad has clarius intelligendas, quid status, maxime sanus, seu sanitas absoluta, sit, prius dicendum est, quam de seminiis agendum. Igitur,

Quid sit sanitas absoluta,

Ut paucis dicatur. Sanitas, talis qualis relata est, is conditionum corporis vivi status

est,

est, quo omnes et singulae ejus partes, constantia quadam et vigore, ad omnes actiones, sive communes, sive singulis proprias, quae ab omnibus aut singulis instrumentis peragi ab initio decretae sunt, fungendas et peragendas conspirent. In quam sententiam Hoffmannus, "Ita quoque," inquit, "robusta natura, corpusque firmum habendum sit illud, ubi efficacia motus, tam in actionibus naturalibus, quam vitalibus et animalibus, vivida se exserit. Vigent autem animales functiones in iis, qui mente et corpore duros, etiam labores ac diuturnas fatigationes sine noxa sustinere possunt; ac vitales et naturales vigent in iis, qui pulsu gaudent magno, pleno, ac robusto, bene appetunt, degerunt ac egerunt, et solida habent corporis membra, neque facile animo moventur, aut a causa quadam externa laeduntur."

Haec sanitatis absolutae notio nostra est. Unde eam rarissime cuivis contingere, et, ubi continget, brevissime decedere, siquidem actiones quaedam ipsius corporis necessariae ei parum conveniunt, apparebit. Necessa-

riae

riae iſtae corporis actiones eae ſunt, quibus id creſcit, conſiſtit, conſeneſcitque; quae actiones creſcenti corpori, et conſeneſcenti neceſſariae, ſanitati tamen perfectae minus conveniant, eae haud obſcurae ſunt. Nec dubium eſt, quin illis temporibus, quam eo, quo corpus ακμην, ſeu conſtitutionem maturam, adeptum eſt, morborum plus periculi ſit. Sed, neque haec aetas expers ſeminiorum eſt, ut graviſſimi tum quoque morbi incidentes argumento ſunt. Nam, licet incrementi et decrementi actiones propriae non eo tempore noceant, tamen aliunde, puta, a mala ab initio conformatione, item prioris vitae aut praeſentibus caſibus, nunc quoque ſeminiorum cauſae naſcuntur. Eoque nullo vitae tempore non alicujus, e magna morborum caterva, periculum eſt. Sed de ſeminiis ita judicandum, prout a ſanitatis propoſito modulo plus minuſve recedant.

In quo corporis partium ſtatu ſanitas poſita ſit.

Propoſito ſanitatis modulo, in quo corpus conſtituentium partium ſtatu illa ſita ſit, de-

deinceps acquirendum eſt. Prius vero, quam hoc aggrediamur, quae corpus conſtituant partes neceſſario explicandum.

Hae primo conſpectu in genus nervoſum, ex quo ſenſus et motus pendent, in firma, formam, texturam, et inſtrumenta praebentia, et in ſanguinem, unde ut a communi origine univerſi alii humores profluunt, dividendae videntur. Sed hae ipſae partes, ſic ab omnibus, et recte diſtinctae, ita tamen inter ſe conjunguntur, et, ab alia alia, pendent, ut de nulla ſine reliquis verba fieri poſſint. Nullum mutari, non mutatis reliquis, concipi poteſt. Proponatur prima, nempe genus nervoſum, in exemplum, quo hoc illuſtretur. Certe genus nervoſum, ſine firmis, cohaeſionem, tenſionem, et firmitatem ei dantibus, nullatenus agere poteſt. Ita ex febre convaleſcens, licet cerebri vigor magna ex parte redierit, tamen, dum flaccidi et laxi muſculi pendent, languetque ſanguinis circuitus, movere ſe bene aut valide agere nequit. Qua in re non tam poteſtas

nervo-

nervoſa, quae integritatem ſuam magna ex parte recuperavit, quam firmorum ſimplicium, nondum debitam firmitatem adeptorum, ſtatus, et deficiens, per fibrarum muſcularium vitium, ſanguinis motus, accuſanda ſunt. Immo, actiones ipſas animales, cum firmorum corporis ſtatu connecti, ab eoque pendere non dubitamus dicere. Vide de hac re quid Hoffmannus dicat, "Id," inquit, "convenit cum experientia: Nam videmus qui e morbo mox convaluerunt, qui ex immodicis ſanguinis profuſionibus vires amiſerunt, ad terrorem non modo et animi affectus valde eſſe proclives, ſed et a frigore, vel ab intemperato cibo et potu, graviſſime laedi, et doloribus, ſpaſmis, et anxietatibus corripi."

Cui non animadverſae ſunt notabiles illae a pueritia prima ad extremam ſenectutem mentis mutationes? In pueritia facilius impulſus mens recipit, cupidius et vehementius, ſed parum ordine aut valide, agit. Contra, eadem in ſenectute non ſolum aegre impulſus recipit, ſed inde exorientia opera parum perficere poteſt. Priores impulſus diutius qui-

quidem, ſed imperfectius, retinet, et ſimplicia opera exercere poteſt; complexiores vero, ut rerum affinitatum et diſcriminum judicium, reminiſcentiam, memoriam, et imaginationem, non poteſt. Aetas media et matura his extremis quoque media eſt. Impulſus mentis non tam facile quam in pueritia, ſed accuratius, conſtantius, et effectu permanente magis, capiuntur. Denique, non mente ſolum, ſed et corpore, perfectius hoc tempore homo eſt. Qua tota in re firmorum, primo aevo mollitie, poſtremo rigore peccantium, medio haec extrema temperantium, ſtatus potiſſimum, ſaltem quodammodo, in cauſa eſt. Contra, firmorum corporis ſtatum a nervoſo genere pendere, aeque manifeſtum eſt. Ita, ineunte typho, quem noxae ſedantes, cerebri et nervorum actionem imminuentes, manifeſte faciunt, languor, laſſitudo, inertia, et motus paulo majores omnes impotentia incidunt; denique omnes corporis actiones, ſive animales, ſive vitales, ſive naturales, imminuuntur. Cujus affectus praecipua cauſa eſt poteſtatis nervoſae ſtatus;

ſi-

ſiquidem, ſine ulla firmorum, humorum ulla, mutatione, ex ſolo generis nervoſi affectione, quam cauſae remotae inferunt, febris propria incidunt.

Verum, neque firma ſimplicia, neque genus nervoſum, ſola adficiuntur. Quorum utriſque neceſſarius ſanguinis circuitus eſt. Sine quo neque cerebri et nervorum actio rite procedit, neque reliqua corporis firma a nervorum actione affici poſſunt. Quam vero cerebri actioni neceſſarius ſanguinis circuitus ſit, hujus liberiorem detractionem ſaepe ſequens ſyncope oſtendit. Rurſus idem ſanguinis circuitus a cerebri actione, per nervos ad muſculares cordis et aliarum poteſtatum, ſanguinem percitantium, fibras demiſſa, pendet. Hinc, noxis ſedantibus, cerebrum et genus nervoſum adficientibus, aeque, ac imminuta, quam ſanguis dat, tenſione, ſyncope inducitur.

Ex his omnibus, corpus vivum omnibus ſuis partibus adeo arcta et mutua copula illigatum connecti, patet, ut, in quam partem quaeque poteſtas, mutationem efficiens, agat,

aut causaene in corpore latentes, an externae quaevis, quae in corpus egerunt, hoc mutent, saepe difficile dictu est. Ad summam hoc tantum constat, corporis conditionem, quae sanitatem continet, in mutuo illo generis nervosi, firmorum, sanguinisque nexu, consistere.

Quo autem modo, aut quare, is nexus, ea conditio, quam alia quaevis, sanitati magis congruat, non scientia comprehenditur, sed experientia et observatione addiscitur. Ejusdem vero constantia illam causae et effectus ordine procedere, fidem facit.

Sic igitur, experientia et observatione adducti, generis nervosi sanitatem in ea sentientium nervorum finium conditione, qua impulsus justo gradu, facile, accurate et clare recipiant; in ea nervorum inter partem impulsam et cerebrum, qua illi motum, ab impulsibus coeptum, libere trajiciant; in ea cerebri, qua hunc motum recipiat, impulsus gradum modumque percipiat, novumque motum, quem voluntas sequatur, excitet; in ea denique aliorum nervorum, inter cerebrum

rebrum et partem ex voluntate movendam patentium, qua ad fibras, partem motu-ras, motum, in cerebro excitatum, perferant; poftremo, in ea fibrarum ipfarum, qua de-miffum motum recipiant, actionemque ex voluntatis praefcripto, partis movendae mo-tui neceffariam, alacriter et valide peragant, pofitam effe dicimus. Prima hujus feriei pars, feu nervorum fentientium extremorum, et ad cerebrum euntium, ipfiufque hujus, conditio, qua impulfus perfentiuntur, fenfi-bilitas; cerebri dein, qua voluntas aut cogi-tatio fit, poteftas animalis; poftremo, ejuf-dem cerebri, nervorumque inde ad mufculos movendos pertinentium ftatus, quo motus fit, irritabilitas nominantur. Hoc in loco requiri poteft, omnefne corporis in fanitate motus voluntati pareant? Poft certum tem-poris fpatium quidam, ut vitales, non viden-tur. Verum, cum quibufdam hominibus, e-tiam in hos qui minime voluntati parere, creduntur, ut cordis motum, poteftas fit, ideo ineunte faltem vita, omnes voluntati fubjec-tos, fed, poftea per confuetudinem, et, quia animo,

animo, ſed parum conſcio, pareant, hujus in eos imperium magna ex parte perire, nobis veriſimile eſt. Sanitas igitur in generis nervoſi conditione relata ita conſiſtet, ut ei conditioni, idonea duarum aliarum partium addita, requiratur.

In firmorum ſanitate exponenda, ſanitati maxime conveniente conditione; qualia firma memorentur, haud dicto opus eſt; ſiquidem hoc nomine tam viva quam ſimplicia, niſi quod illa eatenus tantum, quatenus ut ſimplicia conſiderantur, comprehenditur. Eorum igitur ſanitas in debito denſitatis, cohaeſionis, et roboris gradu poſita eſt; ſi huc tenſionem addas, quam ab humoribus per ipſa vaſorum forma fluentibus accipiunt.

Humorum ſanitas in copia, qualitate, et tenore, curſus idoneis conſiſtit. Copia eſt, qua varia firma, et maxime vaſa, diſtenduntur, et ſic generis nervoſi ſtatus afficitur. Qualitate, mixturam et partium componentium proportionem reſpiciente, ſecretiones magis minuſve idoneae, excretiones abundantiores aut parciores, fiunt. Denique, humorum,

morum, hac aut illac magis fluentium, tenor ita reliquum corpus afficit, ut ejus causa non ex sanguine esse, sed a firmis et genere nervoso pendere, recordanda sit.

Totius igitur corporis sanitas, sic, ut nunc explicatum est, in generis nervosi sensibilitate, irritabilitate, potestate animali, item firmorum densitate, cohaesione et robore, denique sanguinis copia, qualitate, et circumfluendi modo, debitis, consistit. Hae corporis conditiones, vitae necessariae, quod ad valetudinis statum, vel potius gradum, (nam non hic de justis morbis agitur), attinet, vel in partibus vel in toto corpore, in extrema ire possunt. Quibus aut conjunctim aut separatim inter se, et cum valetudinis gradu, cum singulis conjuncto, comparatis, sanitatis modulus solum constitui potest. Cujus judicium nostrum clarius et certius erit, cum ad eas corporis conditiones, quae morbos, vel in hos opportunitatem continent, conferatur. Quid inter sanitatem et morbos intersit, adeo omnibus notum est, adeoque simul a proposito nostro alienum, ut de eo

tacendum

tacendum judicem; eoque magis, quod ſolas illas conditiones, quae potius opportunos morbis homines reddunt, quam quae morbos ut cauſae continent, exequendas, ſuſcepimus.

Communis corporis ſtatus, qui a conditionibus tribus, quae fuſius jam relatae ſunt variae conjunctae, pendet, ab antiquis temperamentum nominatus eſt. Varia et multa apud illos temperamenta erant. Quorum duo tantum certius diſcernere poſſumus, quibus caetera omnia media ſunt.

Cumque nota duo extrema ſint, ita quo penitus intermiſcentur, eo propius ad ſanitatis modulum effectus eorum accedit, et quo puriora ſunt, eo remotior ab illo modulo corporis ſtatus erit. Alterum eorum ſanguineum eſt; cujus notae propriae ſunt, firmorum laxitas, flacciditatem et debilitatem ſub ſe comprehendens, ſanguinis, prae firmis copia magna, ſenſibilitas, et irritabilitas, vel generis nervoſi ordine, conſtantia, et vero aberrans, mobilitas. Quae notae in mollium partium

mollitie

mollitie et ſuccorum abundantia, pilorum et capillorum candore, teneritate, et raritate, genarum rubore, totiuſque corporis tenſione, apparent. Alterius temperamenti, nempe, atrabilarii, contraria omnia ſunt. Firma ad rigorem et firmitatem nimiam vicina ſunt. Humorum prae firmis penuria eſt. Generis nervoſi pro ſenſibilitate ſtupor, pro irritabilitate torpor, eſt. Quem corporis ſtatum pilorum omnium durities et criſpatio, totius habitus ſiccitas, macies et pallor, impulſuum recipiendorum minor habilitas, motuum tarditas, ſed cum vigore et ordine conſtantia, declarant.

Cum haec igitur prorſus inter ſe contraria et extrema temperamenta ſint, inde corporis ſtatum, minime morbis obnoxium, illis medium eſſe, patet.

Verum, praeter communem corporis ſtatum, partium aut inſtrumentorum ejus ſingulorum ſtatus reſpiciendus eſt. Horum affectio propria idioſyncraſia dicitur. Quae, cum omnes partes ita inter ſe conſocientur, quamlibet adficiens, omnes adficere poteſt.

Quod,

Quod, licet ita ſit, nihilo tamen minus partium conditiones, ſeu idioſyncraſiae, ſine communibus corporis indiciis, aut notis certioribus, incidunt. Earundem nullus corporis locus expers eſt; ut omnes dinumerare ſupervacuum ſit. Oſtendet autem maxime ſeſe idioſyncraſia, partem aliquam propria quadem ſenſibilitate aut irritabilitate, qua illa unius generis impulſus, quam alios facilius recipiat, adficiens. Ita nonnulli ovillae odore anima deficiunt; validique homines ſupra aut infra purgantium medicamentorum doſibus, multo imbecilliores lenius affecturis, vehementer commoventur *.

Humores quoque, in aliis hominibus alii varianteſque, ob fermentum forſan aliquid eos adficiens, idioſyncraſia adfici poſſunt. Ita in hominibus victu ex genere plantarum, quam ex carne parato, habitis, fermentum tamen putridum, ut humores magis alkaleſcant, efficere poteſt †.

Porro,

* Mackittrick on Idioſyncras, p. 69.
† Cul. Mat. Med. p. 21.

Porro, praeter morborum ſeminia, quae temperamenti aut idioſyncraſiae labes infert, alia a corporis forma aut conformatione ſubnaſcuntur. Quae a ſanitatis modulo deflectentes, quo modo ad morbos viam ſternant, facile conceptu eſt. Quis, quaeſo, cervicem longam, humeros rotundos, thoracem compreſſum, extrema brevia, trunco longo, non phthiſis pulmonalis periculum facere, novit?

Quae ſint morborum ſeminia demonſtrato, eaque in temperamento, in idioſyncraſia et in conformatione mala, conſiſtere indicato; quae eorundem cauſae ſint, deinceps oſtendendum. Eae autem ab auctoribus nunc pro ſeminiorum cauſis, nunc pro poteſtatibus nocentibus, prout paulatim magis ac lenius, vel ſubito et vehementiore vi, agant, haberi conſueverunt. Quas tamen nos tantum, quatenus ſeminiorum cauſae habendae ſint, memoraturi ſumus.

SEMINIORUM CAUSÆ.

Quatenus eaedem res ſeminiorum cauſae ſunt, ad haec capita,

1. Conformationis congenitae,
2. Ætatis,
3. Sexus,
4. Coeli,
5. Vitae generis, et
6. Morborum priſtinorum,

referendae omnes videntur.

CONFORMATIO CONGENITA.

Conformatio congenita, ut cauſa, omnes conditiones, in quibus morborum ſeminia ſita eſſe dictum eſt, comprehendit. Illa temperamentum, illa idioſyncraſiam, illa corporis formam facit. Et, quamvis haec per alias cauſas propoſitas, flecti, immo magna ex parte mutari, poſſunt, ea tamen unius illius vis eſt, ut per omnia vitae tempora plerumque clariſſimis notis diſcernatur.

Quin

Quin et ab eadem oriens feminium morbofum alias adeo valet, ut non folum fine ulla caufa concurrente, verum etiam cum corporis leges coelique et vitae ratio, ita illam refpiciunt, ut ad ei medendum pertineant, morbus tamen incidat. Prioris cafus hoc exemplum effe poteft: Pueri eodem tempore nati, eodem ritu educti, corporis tamen communi et partium conditione, toto coelo differunt, et per omnia a pueritia ad fenectutem tempora differre perftant; ita ut alius omnibus temperamenti fanguinei notis per omnem vitam, cum idiofyncrafia et peculiari corporis formatione, infigniatur; alius omnibus temperamenti atrabilarii indiciis, cum alia idiofyncrafia et conformatione diverfa, diftinguatur; alius, fine idiofyncrafia, fine conformatione propria, ad unguem factus et bene formatus, neutro temperamento puriore, utroque commixto et compofito, praeditus fit. Qua in re, quantum contra omnes poteftates alienas congenita conformatio valeat, clariffime intelligitur. Quod ad pofteriorem cafum attinet; morbi quidam, quorum in numero

numero podagra eſt, in labe quadam, a parentibus ad prolem tranſlata, naſcuntur. Podagra vero non ſolum ab hac labe naſcitur, ſed ab aliis ſeminii cauſis, quales venus immodica, ebrietas, quietum vitae genus, et provectam aetatem comitans atonia, ſunt; quandoque, ſine labe haereditaria, ſaepius cum hac, etiam acquiritur. Quamvis igitur, ut novimus, plerumque is morbus, ſeminii cauſis labi congenitae additis, et rarius ſine his, naſcitur; tanta tamen aliquando labis vis eſt, ut, vitatis ſumma cura illis, etiam ante ſolitum tempus a ſola labe morbus inferatur.

Æ T A S.

Adeo temperamenta flectit aetas, ut haec, diverſis vitae temporibus, ita quaſi commiſceantur, ut quid ab hoc, quid ab illo, ceu a cauſa effectus, profluat, difficile ſaepe judicatu ſit. In pueritia plerumque temperamentum ſanguineum plus minuſve cernitur. Iſtic aetatis firma laxiora, humores abundantes, exquiſita, parum claro judicio, ſenſibilitas, mobilitas

tas magna ſunt. Quae notae, ut ſupra relatae, temperamentum ſanguineum diſcriminant.

Praeterque eas, caput et cor, prae reliquo corpore, grandia, arteriae prae venis plures, majores, laxiores, pleniores, ſunt. Qui corporis ſtatus unicuique animanti creſcenti neceſſarius videtur. Per magnam ſenſibilitatem corporis partes facilius ſtimulantur, et prae caeteris arteriae. Per harum laxitatem plus ſanguinis iis recipitur, alimenti plus adplicatur, et corpus quoque morbo opportunum fit. Quo autem modo fiat, maxime ſi primigenitorum ſtaminum ſtatus cum illo concurrat, facile eſt cernere. Quod pueri, adeo dentitione male habentur, id corporis ſtatui, adeo ſenſibili, ut modica dentium, gingivas percidentium, irritatione ſic adficiatur, acceptum referendum eſt.

Progreſſo incremento, et mutatione inſigni facta, adoleſcentia inchoari dicitur. Haec in majore corporis plerumque tenſione, reſiſtentibus cordi, poſtquam prae hoc denſiores et rigidiores factae ſunt, arteriis, conſi-

ſtit.

ſtit. Venae adhuc etiam pauciores, prae arteriis et minus capaces, licet non ita, ut antea, permanent. Hinc hoc fere tempore in pulmones et alia viſcera humorum impetus convertitur. Senſibilitas minus exquiſita, ſed judicii certioris eſt. Progrediente porro vita, hae mutationes progrediuntur, donec libramen juſtum conſtituatur, aut, ut aliis verbis utamur, donec ad conſtitutionem corpus pervenerit, eoque minus, quam ullo alio vitae tempore, morbis opportunum fiat. Arteriarum et venarum capacitas, humorum et firmorum copia, aequantur. Humorum ideo qualitas, quia firmorum, ex qua pendet, conditio, optima eſt. Senſibilitas nimiae et deficienti, irritabilitas torpori et mobilitati, mediae ſunt. Verum enim, ut ſupra dictum eſt, tot a felice hac conſtitutione, a ſolida ſanitate declinandi cauſae, ſive ex conformatione mala primigenita, ſive prioris vitae caſibus pendentes, occurrunt, ut perfectum illum valetudinis modulum incidere, ullamve vitae partem morborum ſeminiis carere, vix credibile ſit.

Qui,

Qui, si incideret, cum ipsae corporis leges, quibus crescit et maturatur corpus, ad hoc tandem deterendum, ac postremo dissolvendum pertineant, diu permanere non potest. Jam vasorum, humores circumferentium, libramen mutari incipit. Arteriaeque, quae hactenus numero plures et capaciores venis fuerunt, multae extremae deinceps impervae evadunt; et reliquae densiores et firmiores factae cordis, quod cum venis multo minus demum et firmum factum est, actioni validius resistunt. Hinc venarum plenitudo et turgescentia, humorum prae firmorum copia minuitur. Hinc corporis siccitas. Iidem humores densiores, et ob salium, quos continent, copiam acriores, fiunt. Quae accredo, eorundem cohaesionem imminuens, quodam tenus densitatis seu liquoris defectum pensat. Firma supra modum rigescunt; generis nervosi deficit sensibilitas; degenerat in torporem irritabilitas. Quae mutationis series perstans vitam demum delet, seu mortem, quae dicitur, naturalem adfert. Cujus, quae naturae humanae conditio fragilis est, pauca

pauca exempla ſuppetunt; contraque mortalium pleroſque caſus morbuſve varie ante conficit.

Poſt ακμην quae incidunt mutationes, quo nexu aetas provecta et temperamentum melancholicum inter ſe conjungantur, quantumque illa ad hoc flectendum et fingendum valeat, oſtendunt. Eoque morbi quos faciunt, inter ſe affines magis minuſve ſint, quo magis aut minus hae duae cauſae conjungantur, neceſſe eſt. Inclinata vita, eorum canalis alimentarii adfectuum, quos poteſtas nervoſa, tarde et invalide in ventriculum et inteſtina agens, efficit, potiſſimum ſeminium oritur. Quod eo promptius et facilius fit, ſi ad aetatis effectum temperamentum melancholicum, a ſtaminibus primigenitis pendens, cujus notae ſupra expoſitae ſunt, ſuperadditur. Quibus notis, qui medicinae paulo peritior ſit, facile aliquis hypochondriaſin morbum, qui maxime quaeſtionis hujus refert, deſignari videbit. Certe is morbus eo maturius aut ſerius vitae adparet, quo, ubi caetera paria ſunt, id temperamentum

mentum magis minusve subest. His causis concurrentibus, aut seorsim agentibus, apoplexiae, epilepsiae, hydropis, haemorrhagiae venosae, viscerumque et, prae caeteris, tardi venae portarum generis, obstructionum, seminia debentur.

S E X U S.

De tertia seminii morborum causa, nempe sexu, vix alia, quam quae relata sunt, dicenda videntur. Natura, quanquam non perpetuo, alteri sexui alteram constitutionem, maribus firmiorem, validiorem, et robustiorem, foeminis teneriorem, molliorem, et imbecilliorem, habitum tribuit. Quod discrimen in nullo animantium genere, quam in homine, insignius est. Temperamenta in sexu ita flectuntur, ut sanguineum in foemineo, melancholicum in virili, exquisitiora sint. Hinc in morbos, his temperamentis magis proprios, proclivitas. Sed ad summam tamen, mulieres officia, iis a natura mandata, pluribus morbis objiciunt.

C O E L U M.

Licet consuetudinis vis coeli effectus imminuat, tamen, ut nemini non notum est, illud corpora nostra miris modis afficit; et sub alio alia temperies non solum corpora incolarum, sed mores quoque, permutat. In calidis regionibus, hypochondriasis aut alii morbi, quibus opportunos homines temperamentum melancholicum reddit, rarius usu veniunt. Quibus, e contrario, quod plurimae observationes et multus rerum usus confirmarunt, eadem loca optime medentur; aestasque maxime non solum sublevat, sed et prope ex toto illos tollit. De qua re plura cognoscendi cupidos, ad ingeniosissimi et prudentissimi viri, praeceptoris nostri, Jacobi Gregorii disputationem inauguralem relego.

VITÆ

VITÆ GENUS.

Vitae genus, ſeu vivendi ratio, facile duobus capitibus, victu et exercitatione, comprehenditur.

Victus hominis, quam reliquarum animantium, multiplicior. Qui ex animalium pariter et plantarum genere, et partim quoque e foſſili, alimenti materiam ſumit, dum aliquo horum generum, et alio aliae, reliquae animantes contentae ſunt. Multa in corpore humano, ei ſolitum victum naturalem quoque eſſe, ſuadent, dentes dico potiſſimum, et canalem alimentarium. Alimenti igitur delectus cum communi corporis ſtatui, tum proprio illi, quem idioſyncraſiam diximus, accommodatur; morborumque, aut a temperamentis communibus, aut ab idioſyncraſiis pendentium, ſeminia proinde flectit. Quam rem fuſius tractare quia longum foret, et hujuſmodi chartarum ſolitos fines excederet; ideo, omiſſo eo, ad alteram hujus capitis partem, exercitationem, tranſeundum eſt.

Exerci-

Exercitatio abſoluta non eſt, ſed proprium ſemper corporis ſtatum reſpicit. Ejus aliquantum valetudini ſemper neceſſarium eſt. Sed, quanta eſſe debeat, multa, ut conſuetudo, victus, coelum, et alia, dirigunt. Duriori labori aſſuetus homo hunc impune fert, otio et deſidia effoeminatus minimo delaſſatur. Lauto victu habitus laborem perfert, cui tolerando parce et tenuiter vivens inidoneus eſt. Nec quiſquam vivit qui plus ſe laboris frigore, quam calore, tolerare non expertus ſit. Unde exercitationem relative tantum nimiam aut deficientem eſſe patet. Cumque ſic aut nimia eſt aut deficit, corporis conditiones, morbis opportunas, creat. Nimia, ſive corporis ſive animi, vim nervoſam exhaurit, et ab ea pendentes actiones omnes debilitat. Quibus quodammodo ſimiles effectus deficiens quoque edit. Debita et media extremis digeſtionem juvat, humorum motum et excretiones ſuſtentat. Quibus deficientibus, plethora, nimiam ſenſibilitatem, irritabilitatem, et obeſitatem, gignens, inducitur.

PRIO-

PRIORES MORBI.

Cum femel morbi exftiterunt, eofdem a levioribus, quam primum facti funt, poteftatibus nocentibus renovari, et aliquos, partis alicujus aut organi idiofyncrafia facta, aliorum feminia facere, neminem fere latet. Quin et morborum effectus eft, temperamenti ftatum communem, feu potius habitum, flectere, et fic ad alios viam facere.

Caufis fupra expofitis, confuetudo adjicienda eft. Per quam, cum alia plurima, tum morborum reditio iterata aut perfeverantia, folam optime explicabiles funt. Ejufdem quoque, in fomni, cibi potionifque defiderii excretionumque poft certa tempora reditionibus, vis infignis cernitur. Ita certa hora dormitum ire confuetus, ea difficile vigilare, poft eam diu, immo ufque ad idem poftero die tempus, facile aut fine multo incommodi perfeverat. Cui perfimilis alimenti defiderii effectus eft. Statuto tempore prandere folitus, eo, fi bene valet, efurit; quo forte praeterito,

terito, decedit desiderium, nec ante proximi cibi tempus deinceps fere redit. Sed nusquam, quam in quorundam morborum redibus certis, hoc magis apparet. Quae primae febrium intermittentium accessionis causa sit, non audebo dicere. Hoc tamen certum est, postquam febris intermittens semel incidit, ejus accessiones consuetudinis vi circuitibus certis reduci.

Hinc in earundem curatione, non solum diebus, sed etiam horis, quibus repetere consueverint, prae reliquis temporibus, cavendum intelligimus. Cum igitur adeo consuetudinis vis valeat, quod morbi, postquam inciderunt, redire periclitentur, non erit mirandum. Quin et per eandem vim morbi priores novos excitare periclitantur; quod, genus nervosum, firma, humores, aut forsitan omnia simul haec, flectendo, temperamentumque ipsum, saltem huic proximum habitum communem partisve proprium, tangendo, efficere possunt.

Absolutis, quae aut temporis ratio, aut hujusmodi disputationum fines consueti, recepisse

le videntur; quam imperfectum opusculum hoc sit, minime nos fallit. Nec id ex toto ingenii culpa factum est. Ipsum enim, quod tractandum suscepimus, argumentum, adeo obscurum et inexplicabilibus nodis impeditum est, ut, si postquam aggressi sumus, id omittere et aliud eligire in potestate nostra fuisset, certe fecissemus. Quod quoniam non licuit, lectores tamen juveni, paucis hebdomadis confecti, tumultuarii operis errores et secus admissa, condonaturos esse speramus.

Valete, egregii Viri hujus academiae Professores, Praeceptores mei semper colendi, meque voluptatem simul et fructum, quem ex vestris laboribus percipiendi copia facta est, memore animo habiturum pro certo habetote.

F I N I S.